

an 13
24

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
SPASMO FEBRILI

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICII
ET
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
FRIDERICO CHRISTIANO IVNCKERO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE
HVIVSQVE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
PAEDAGOGII REGII AC ORPHANOTROPHEI HALENSIS
MEDICO PRACTICO CONSTITVTO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. XXIV. APRIL. A. R. S. MDCCCLXIX.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
GEORGIVS FRIEDERICVS SIGISMVNDVS CRONER
POMERANVS.

HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.

STANTIO MALDELLIS MEDIC
SPAZIO FERILLI

INSTITUTI GRATIOSI ORDINIS MEDICORUM
FRIDRICO CHRISTIANO IVCKERO

DOCTORIS
GEORGIUS FRIEDRICH VON MINNERS GROMER

HALE AD AMM. 1750





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
SPASMO FEBRILI.



§. I.

Mirum videri posset, quod febris natura, in tanta eius frequentia, obscura adhuc sit, atque illius cognitio ab hypothesium errorumque imperio nondum liberata deprehendatur. Monuit quidem immortalis BACCO ^{a)}: Nil magis Philosophiae officisse deprehendimus, quam quod res, quae familiares sunt & frequenter occurrunt, contemplationem hominum non morcentur & detineant, sed recipiantur obiter,

A 2

neque

a) Nov. Organ. L. I. n. 119.



neque earum causae quaeri soleant: ut non saepius requiratur informatio de rebus ignotis, quam attentio in notis. Quod quam vere dictum sit, vel leuiter ad res humanas attendenti patet. At quod febrim attinet, eius omnino obscura ratio hinc peti nequit, cum medici, si quo vnquam in morbo eruendo, certe in febre intelligenda, ab omni aeuo occupati fuerint. Neque crederem, plurima febris momenta recondita laborare obscuritate, quae efficiat, vt vera illorum ratio supra sphaeram cognitionis humanae posita sit. Si obseruationum vestigia sequaris, atque id ita quidem, vt omnem interea, speciosissimam licet, febris theoriam negligas, cauendo simul, ne ad adamatam theoriam Naturae dicteria retorqueantur: videbis, quam cito omnis, quae accusatur in ea re, difficultas euanescat atque obscuritas. Ergone Medici in culpa sunt? Sunt certe experientia & obseruatis vel plane non, vel non satis, vel minus recte vrentes. De spatio itaque febrili dicturi, hos scopulos vitare conabimur.

§. II.

Opus tamen erit, vt de essentia febris quaedam praemoneamus. Celeritas generatim corporum determinatur ex spatio, quod intra certum tempus percurrunt, sic, vt, manente tempore, cum augmento spatii celeritas augeatur, cum decremento vero spatii ea decrescat, manente autem spatio, cum maiori minoriue temporis breuitate celeritas increscat, aut decrescat. Quod si ergo per circulationis spatium, i. e. caua cordis & vasorum sanguiferorum, intra breuius temporis interuallum sanguis vehatur: sanguinis celeritas incrementum cepit, ex pulsum celeritate, quid? quod, vt plerumque fieri solet, celeritate & frequentia coniunctis, determi-




minandum *b*). Huius celeritatis auctae tres dantur species, quae memorabiles sunt, quarumque hic mentio facienda. *Primo* diuidi scilicet potest in *naturalem* & *praeternaturalem*. Illa functiones non laedit, haec laedit. *Secundo* vel *uniuersalis* est, vel *particularis*. Uniuersalis obtinet, quando per caua omnia, quae transire debet, sanguis celerius fertur, particularis autem tunc adest, quando in nonnullis tantum cauis motus sanguinis celerior euadit. Sic a motu corporis progressiuo uniuersale sanguinis celeritatis incrementum locum habet; inflammationes vero quasdam non nisi particulare illius incrementum comitatur. *Tertio* denique in *absolutam* & *respectiuam* dispesci potest. Quando enim gradus celeritatis *vere* sanitatis statu auctior est: absolute maiorem celeritatem adesse dicimus; quando vero celeritatis quidem gradus naturalis manet, simul tamen caussae praesentes sunt, quae, in se consideratae, languorem inducerent: celeritatem respectiue increbuisse affirmatur, cum in tantum solum adsit *maior* celeritas, in quantum

caussae

b) In medio relinquo: an & altera auctae celeritatis species in corpore humano obtineat, ea nempe, sub qua, manente tempore, spatium circulationis augetur? Maior vasorum sanguiferorum cordisque cauorum vel numerus vel amplitudo, vel longitudo id, quod sanguis percurrere debet, spatium auget. Retardatur hinc sollempiter circulus sanguinis, prout videmus in his, quibus cor magnam contigit, atque ex mutationibus pulsuum, quae cum aetate obueniunt. Numquid vero *in statu morbofo* fieri potest, vt caussae celerioris sanguinis motus cum aucto eiusmodi spatio circulationis obortantur, ea quidem ratione, vt, licet pulsuum nec celeritas, nec frequentia naturali maior adsit, tamen celeritas sanguinis maior, ob auctum circulationis spatium, existat? Numquid exinde casus foeminae, quam synocha detentam fuisse sine tamen pulsa febrili, iudicat Auctor, explicari debet? Habetur is in *obseruationibus Varsauiens.* Fasc. I. p. 17. Iudicium sit penes lectores.





causae languoris cum naturali celeritate comparantur. Multa dantur huius celeritatis augmenti specimina. Quando in morbis, vires corporis summpere deprimentes, pulsus aequae celer ac frequens, ut in statu naturali, manet: motus tunc sanguinis respectiue celerior factus est. Simile exemplum praebet Plethora. Si in homine summe plethorico, cuius pulsus languorem ostendebat, pulsus euadit naturalis, celeritas sanguinis non minus respectiue aucta obtinet, vereque est praeternaturalis. Nec noua est haec distinctio. Obscurius paulo utitur ea *Illustr. b. m. Stablius* c). Postquam enim affirmauerat, pulsus celerem omnibus febribus competere, haec addit: *Quod enim in malignis, & quidem harum initii, pulsus interdum sano adhuc similis maneat, verum quidem est, sed certe non ita, ut imperiti iactant, familiare: Imo vero, quod de pulsu sano hic dicunt, fallit omnino ipso vigore, seu energia eiusdem, si quidem talis pulsus, licet frequentia atque celeritate, a naturali gradu non multum abire videtur, debilitate tamen facile diuersitatem suam prodit.* Manifestius autem *Illustr. Eberhardus* d) motum sanguinis auctum in absolute & relatiue auctum dispescit.

§. III.

Nunc in omni febre aucta eiusmodi sanguinis celeritas adest, atque in vniuersali quidem vniuersalis, in particulari particularis. Auctor *Defin. med. Galeni* febrem pulsus augmentum vocat. *BOERHAVIUS* e) *in omni febre inquit, a causis internis orta,*
bor-

c) Vid. eius *Diff. De febribus in genere* pag. 19.

d) *Conspect. Patholog. gener.* §. 24. pag. 59.

e) *Aphorism.* §63.

horripilatio, pulsus velox, calor, vario febris tempore, vario gradu adfunt; postea f) sola velocitas pulsus adest ex his omni febris tempore; denique: quidquid de febre sic nouit medicus, id omne velocitate pulsuum sola cognoscitur g). STAHLIUS affirmat h) celerem pulsuum ita plane proprium & essentialem esse manifeste eruptentibus, vna forte excepta algida, febribus, vt etiam verum illarum pathognomonicum signum hinc dici mereatur. Atque generatim pulsus febrilis medicis audit pulsus iusto celerior ac frequentior. Vnde ex dictis id saltem apparet, in omni vera febre pulsuum velocitatem, naturali maiorem, adesse, e qua ad iusto celeriore sanguinis motum recte concludere licebit, cuiusuis idcirco febris verae comitem, etiam topicam i). Quid vero? Dantur ne febres sine pulsu veloci? videbimus! GALENVS k) certissimum quartanae incipientis signum ponit pulsus raritatem & tarditatem. Nonne ergo febris praesens est sine pulsu veloci? Optime hoc phoenomenon explicat SWIETEN, eo non obstante praecceptoris theoriae fidus. In summo, inquit, talis Paroxyismi frigore tremulo motu, & saepe satis obscuro, agitur arteria, deinde postaliquot momenta vnicui saepe arteriae diastole percipitur satis valida, moxque iterum cessat, postea iterum maiori minoriue intervallo rediens. Vnde si validi illi pulsus numerentur, tarditas videretur, cum tamen intermedio tempore reuera celerissimus, sed & debilissimus simul, arteriae motus sit. Quid? quod sum-

f) Aphorism. 570. *ma*

g) Aphorism. 571.

h) L. c. pag. 17. conf. quoque pag. sequent.

i) Perill. v. Swiet. comment. Tom. I. pag. 627. 628. & Tom. II. pag. 534.

k) Libr. II. de Crisib. Cap. 4. Swiet. L. c. Tom. II. pag. 21.



ma celeritas, summae frequentiae iuncta, impedire potest, quo minus pulsus celeritas deregatur. *Vbi enim, inquit IDEM, tanta celeritas pulsus est, ut decuplo maior sit, quam in statu naturali, nemo rythmum eius distinguere poterit, sed mirus tantum undulatosior motus a tangente percipietur.* Denique in tam valido frigore accedit, quod aliquando per aliquot momenta, omni motu abolito vera syncope intercurrat ^{l)}, sicque febris ipsa per aliquod quasi sufflaminetur tempus. Quod a febris maxime malignis, quas naturalis pulsus comitatur, repeti posset argumentum, id iam solum §. II. Quamvis enim in his similibusque casibus celeritas sanguinis absolute aucta non sit: tamen respectuum incrementum contraxit.

§. IV.

Nil vero magis stabilitae sententiae aduersari videtur, quam casus, qui in *observationibus warsawiensibus* occurrunt ^{m)}. Prius, qui adfertur, casus foeminam respicit, cui pleuritis vera contigit; *post tres venae sectiones quinto die sanguinea sputa habuit: absente auctore, cum de critico naturae conamine cogitatum non fuerit & pede secta vena fuit: cessarunt tunc sputa: redierunt laterum puncturae; sed sine pulsu febrili.* Non adfuit hic dolor vere pleuriticus, nec febris. Solent enim febres inflammatoriae eius esse naturae, ut, si etiam remotae fuerint, in loco autem inflammato dolorem saepius relinquunt, qui vero inflammatorius non est, nec ideo febre stipatus. Similis dolor in praesenti casu adfuit. Quod enim vere pleuriticus non fuerit, ex pulsus consideratione

in-

^{l)} Id. l. m. c. pag. 20. 21.

^{m)} Fasc. I. pag. 16 seqq.



intelligitur. In vera pleuritide pulsus durus & celer obtinet, nisi pleuritis adeo saeva existat, vt pulsus mollis atque exilis cum celeritate, vel etiam intermissione compareat ⁿ⁾. Ne umbra horum pulsuum, quod auctor fatetur, hic adfuit. Venae sectio quoque, sat frequenter administrata, & solutio morbi benigna, facile impetrata, confirmant, pleuritidem veram abfuisse. Non mirum ergo dolorem fuisse sine febrili pulsu. Quid? quod si mulier ista adeo singulari vera & exquisita pleuritide laborasset, a qua abfuerit pulsuum celeritas et frequentia: qua ratione factum, vt non nisi tunc huius pulsus absentiam notauerit auctor, quando dolor recruduit? Si vnquam pulsus naturalis obseruetur in pleuritide vera: id certe nonnisi in saeuissima huius morbi specie obuenire potest, vel vrgente scilicet summo dolore ^{o)}, vel transeunte pleuritide in peripneumoniam valde acutam. Haec enim tunc sanguinis ad cor reditum impediendo, pulsuum, fere vt de quartana diximus, rarum & tardum reddere potest, licet *vere* sat celer sit. Sed neutrum hic assumere possumus. Sequitur aliud exemplum. Allata fuit foemina viginti aliquot annorum: narrauerunt, incidisse eam in febrem ardentem, & ex eo tempore, quod iam sex septimanis aequabat, semper eodem habitu pollere; facies turgebat, rubicunda, oculi splendentes, cutis tensa rubra, linguae medium modica pituita tectum fuerunt: Pulsus autem nec plenus ratione habitus, nec durus, nec celer, nec dicrotus, nihilque

ⁿ⁾ BOERHAAV. Aphorism. §. 875. van SWIET. l. c. Tom. III. pag. 321.

^{o)} Magnus enim dolor lentiores saepe pulsuum inducit, cum spasmi illius focii dilatationem arteriae motumque sanguinis impediunt.



hilque cum febrili commune habuit. Hunc morbum intra centum et viginti dierum spatium demum solutum, fractis antea perptisanam hippocraticam, vesicantibus et clysteribus eiusdem symptomatibus, *synochum paracnasticam* seu paulatim decrefcentem fuisse, auctor asserit. Et existisse hic illam febris continentis speciem, phaenomena suadere videntur, licet historia morbi, quod aperte fateor, iusto mihi breuior et imperfectior videatur. Quoniam vero cuiuslibet febris continentis causa commotio sanguinis in subiecto plethorico est, in foemina autem ista pulsus plenus, signum plethorae non adfuit: sequitur, sanguinem circulantem maius spatium nactum esse *p*). At hac ipsa conditione, licet maior sanguinis celeritas obtinuerit, pulsus velocitas impediri potuit (§. II. n. b.). Tertius casus restat. Foemina pleuritide exquisita laborans, maniaca demum facta, apparitiones accusavit, de salute animi desperavit, conuulsiones accepit, pulsus tamen semper sanus fuit. Probabile videri posset, idem hic a conuulsionibus factum, quod V. SWIETEN circa quartanam monuit (§. anteced.); sed, cum ante etiam maniae et conuulsionum paroxysmum foemina pulsu gauisa sit naturali, cum euphoria, nocte tranquilla, omni malo signo absente, quod innuit Auctor, pleuritidi

p) Si enim vera Plethora in C. H. obtinet, atque perdurante licet sanguinis circulo, pulsus plenus abest, causa huius abesse debet. Nunc plenitudo arteriarum pulsus plenum efficit. Quomodo vero illa abesse potuit, nisi statuas, spatium circulationis maius factum esse? Plethorae idea oritur, si cum copia sanguinis cauorum, per quae sanguis transire debet, capacitatem conferas. Plethorae idcirco phaenomena cessabunt, quam primum capacitas spatii circulationis in tantum increfcat, in quantum sanguis abundat. Nonne turgor ruborque partium externarum signa huius augmenti sunt?

ritidem plane iam cessasse, neque febrem ideo superstitem fuisse censeo *r*).


§. V.

Ergo in omni febre, omnique eius tempore, celeritas sanguinis tanta est, quanta in statu sanitatis esse nequit. Numquid vero ad hanc ipsam celeritatem vera febris essentia reuocari debet, ita, ut praeter eam nil aliud ad febrim requiratur? Ita quidem. Quamuis enim velocitas pulsuum non semper, si febris adsit, per sensus cognosci possit, hincque ad dignoscendam febrem, in rarioribus quibusdam casibus, non sufficiat (§. anteced.): attamen, quando eam Medici ita obseruant, ut statum sanitatis vere excedat, de febris praesentia amplius non dubitant (§. III). Febris itaque essentiam in iusto celeriori sanguinis motu ponere tenentur. *Illustr. b. m. STAHLIUS* manifesto id affirmat. *Circulatio sanguinis, inquit, in genere aucta atque intensa, et variae directiones tonicae, versus loca affecta, aut versus colatoria aut emuntoria, et huius utriusque conueniens atque iusta et efficax proportio, ad secretiones et excretiones successiuas operosiores extraordinarias, est ipsa febris, siue ut loquuntur, febris ratio et causa formalis r*). Neque si momenta attendas, quae febrim inuenies, e quo

B 2

essen-

- r*) Vnde nam vero mania, conuulsio? raptu sanguinis versus caput. Caeterum ipsemet Auctor, his casibus non obstantibus, febrem sine pulsu febrili esse posse, negat. Ne, inquit, quae de pulsu febrili absentia dixi, sinistre intelligantur, determinatius dicere debeo: me neuiquam asserere febres sine pulsu febrili dare, quod falsum omnino foret; sed fieri posse, ut saepe febre non solum in corpore haerente, sed actualiter laborante, quibusdam temporibus, nullus febrilis pulsus adsit (l. c. p. 22.).
- r*) vid. Diss. de Patholog. febris in genere pag. 18. Thef. IV.



essentia febris apte repeti posset. Spasmus enim, calor, sudor, quae aequae ac velocitas sanguinis maior, essentialia et generalia iudicantur febris momenta, (quod iam in medio relinquo) non sufficiunt, ad febris naturam efficiendam, siue sola sumantur, siue coniuncta. Denique quae huic febris essentiae aduersari videntur dubia, nullius sunt momenti 9.

§. VI.

Causae februm simplicium ad sequentes reduci possunt. I. *Irritatio nervorum.* Quod de febribus intermittentibus valet 1). II. *Plethora commota*, februm continentium exemplo. III. *Obstructio cito et cum impetu facta in partibus nervosis*, s. inflammatio, quod febres inflammatoriae, quas particularis inflammatio comitatur, testantur. IV. *Acre multiplex*, vel in primis viis ad sanguinem transiens, vel in MS. enatum et productum, prouti id de febribus biliosis, exanthematicis, putridis, lentis et hecticis, catarrhalibus, rheumaticis &c. constat. V. *Inflammatoria sanguinis spissitudo commota.* Quorsum non solum febres inflammatoriae *uniuersales* i. e. absque particulari inflammatione occurrunt.

9) Vid. v. SWIET. Tom. II. l. c. Si quis reponere velit iracundiam, motum corporis, spirituosorum assumptionem: velocitatem sanguinis, sine febre, augere: leuissimum id iudico dubium. Ista enim causae celeritatem sanguinis augent *vel* ita, ut celeritas ista vere *iusto* maior sit, atque tunc febris aderit, vel ea tantum ratione, ut maior quidem, non *iusto* tamen maior enadat, tuncque determinata a nobis febris essentia deficit, et exempla non quadrant. Caeterum *motus febriles*, qui gradu tantum ab exquisita febre differunt, ad febrim, quam hic considero, referendos esse iudicavi.

1) Illustr. & Vener. BÜCHNERI Diss. de rite diiudicanda haemorrhagiarum in febr. intern. salubr. §. III.

renes, sed istae quoque nonnunquam spectant, quae ex acri pro-
 veniunt v. g. variolosa, scarlatina, morbillosa, et continentis gra-
 viiores: Neque difficulter ex §. anteced. perspicitur, qua ratione
 praedictae causae, ad efficiendam febrem, operantur. Omnes
 nempe cor irritant et vasa sanguifera, et valentius quidem, quam
 in statu sanitatis fieri deberet, sicque producendae febris pares eva-
 dunt, compositam etiam efficientes, si plures concurrunt.

§. VII.

Iam ad spasmus febrilem accedo. Partes musculares vi
 quadam gaudent, quam irritabilitatem vocant, quaque fit, vt
 muscoli fibraeque musculares paulo violentius sese contrahant.
 Quodsi nunc haec vis, voluntate licet non sollicitata, tam validum
 partium muscularium motum efficiat, vt statum naturalem exce-
 dat: hunc *spasmus* nuncupant. Nonne vero licebit etiam, mo-
 tum partium muscularium *in suo velociorem et frequentiore*, inui-
 tum tamen, spasmi adnumerare? GAVBIUS saltem eum huc
 reuocandum esse censet ⁿ⁾, nec male quidem, cum nondum pe-
 culiari nomine a reliquis morbis distinctus sit, atque multae,
 spasmo similia, ipsi insint. *Spasmus febrilis* nobis dicitur is, qui
 febrem comitatur, siue a febre ipsa, siue a causa illius, siue de-
 mum a symptomate quodam pendeat.

§. VIII.

Omnem itaque febrem spasmus febrilis comitatur. Qua
 de re nemo dubitabit, qui essentiam febris, §. V. stabilitam, &
 causas febris, §. VI. allatas, considerat. Febris enim sibi velo-
 ciores sanguinis motum vindicat; motus autem sanguinis a con-
 tra-

n) Infit. Pathol. med. §. 751. p. m. 399.



tractione cordis & vasorum sanguiferorum arterioforum pender; cuius itaque velocitas maior produci nequit, nisi velocius quoque sese arteriae & cor contrahant; *iusto* ergo velocior sanguinis motus, qualis in febre obtinet, *iusto* quoque velociorem (& frequentiore etiam, cum & febris accedat pulsus *frequens*) partium istarum, sua se irritabilitate contrahentium, motum requirit i. e. *spasimum* (§. anteced.). Omnes dein febris caussae, quas §. VI. enumeravi, validissimae sunt ad excitandum cordis arteriarumque spasimum. Qui animi affectuum dolorisque effectus perpendit, non dubitabit, quod irritatio nervorum (§. VI. n. I.) spasimum in praedictis locis producat. Neque caussa spasmi deficit, si Plethora commota adsit (§. cit. n. II.). Orgasmus enim, cum vehementiorem sanguinis motum, caloremque intensiorem ponat, non potest non, in plethorico praeprimis corpore (vixote in quo tunc sanguinis vehementia & calor longe maiores sunt) spasmi existere caussa. Sub particulari inflammatione (§. VI. n. III.) non dolor solum, necessarium inflammationis symptoma, sed vehementior etiam sanguinis motus, indiuulsus inflammationis comes, cor & arterias fortius sollicitat. Acre etiam multiplex (§. cit. n. IV.) spasimo inferendo par est, cum fortiorem stimulum inuoluat. Inflammatoria denique sanguinis spissitudo commota (§. cit. n. V.) aequae ac plethora commota spasimum efficit. Nulla itaque vnquam febris sine spasimo existere potest, atque ideo *Illustr. b. m. STAH- L I V S* toties de *motu partium tonico*, tanquam necessario febris praedicato, loquitur, licet eum motum, non ad cor & vasa tantum, sed ad spasmos etiam aliarum partium v. g. ventriculi applicet.

Vnde

Vnde etiam intelliguntur *directiones tonicae*, quas ad febris naturam requirit. (§. V.).

§. IX.

Licet autem in vniuersali febre ^{v)} arteriae omnes cum corde a spafmo affici debeant (§. anteced.): attamen in cutaneo habitu *plerumque manifestius* apparet. Cuius rei ratio vt intelligatur: fequentia notanda. I. Quo angustiora sunt, quae spafmus occupat, vasa, eo facilius illi eius effectus, qui impedito fluidorum transitui debentur, compareant necesse erit. Cutis autem scater eiusmodi vasculis. II. Aer externus sanguine plerisque in casibus frigidior, spafmum cutaneum & faciliat & quodammodo intendit. III. Quo remotior erit a corde pars quaedam corporis: eo magis humorum in ea impetus languescit, eoque ergo facilius, ob minus agens fluidum, vasa illius spafmo contrahi possunt. Verum cutis satis est remota a corde. IV. Serum, quod in cute secernitur, fere ab omni acris, febris caussa, inquinatur. Nonne ergo spafmus, qui acris materiae effectum sinit, frequenter ideo & manifestius in cute apparere debet? Denique V. Magnus est, qui cutim inter & ventriculum nervosque intercedit consensus. Nunc vero febres ab irritato genere nervoso oriri possunt (§. VI.); raro etiam in febriente homine primae viae satis sunt a cruditatibus liberae; quid? quod his ipsis non infrequen-

v) De spafmo febrium topicarum non opus est, plura afferre. Exerit sese in parte tantum affecta, reliquis non mutatis. Debetur, vt ex obseruationibus colligere licet, *vel* breuiori inflammationi particulari, *vel* iritatis neruis, *vel* consensui partis affectae cum primis viis.



quenter causa febris debetur (§. VI.) ^{m)}. Quid ergo mirum, quod cutis a spasmo febrili manifestius & fortiter plerumque afficiatur? Atque is est spasmus ille adeo famosus, *cutaneus* & *periphericus* vocatus, cuius ergo causae patent ex his & §. anteced. Quare etiam nulla *uniuersalis* febris sine spasmo illo cutaneo oboriri potest & cogitari. Topicae autem febres isto spasmo immunes sunt, nisi forsitan paucorum vasorum cutaneorum spasmus iam cutaneum salutare velis, quod vero vsui loquendi repugnat, cum, qui maxime spasmus periphericum in febribus vrgent, ita de eo loquantur, ac si rota cutis, licet vario in gradu, per eundem afficiatur.

§. X.

Liceat his, quae de causis spasmi cutanei dicta sunt, nonnulla addere, quae errores quosdam hic commissos respiciunt. I. Nescio quo fato factum sit, vt medicos inter nonnulli credam, ac si locus spasmi cutanei in *fibris* etiam *cutis* quaeri debeat. Nulla vnquam fibra, si a musculari discesseris, spasmo adfici potest. Cutis autem fibris muscularibus destituitur, si de humana sermo sit. *In homine*, inquit HALLERVS, *aliqui, non numerosi, muscoli in cutem se immittunt, eique motum aliquem impertiunt, in fronte, naso, labiis, mento, facie, iugulo. Reliqua corporis humani & maxima superficies nil habet simile. In darto scroti non musculus cuti subicitur, sed cellulosa tela adhaeret* ⁿ⁾. Istaе autem fibrae musculares cuti adscribi non possunt, cum partem sistant, a cute eius-

^{m)} Conf. etiam Illustr. BÜCHNER Dissert. de duplici febr. exanthematicar. specie.

ⁿ⁾ Elem. Physiolog. Tom. V. pag. 7.

eiusque fabrica toto coelo diuersam. Ipse HALLERVS ita iudicat 9). *In ipsa, inquit, cute fibrae musculares nullae adparent, neque eiusdem naturae vis est in cute irritable, quae in musculis; etsi riget a frigore & contrahitur; stimulis non enim obedit.* Nisi ergo quamcunque a frigore contractionem fibrae spasmodicum dicere velis: fibrae cutis spasmo affici nequeunt, brutis quibusdam exceptis, quae Medicus minus curat. II. Errant non minus, qui sedem huius spasmi in vasis tantum cutaneis ponunt; id saltem certo certius est, quod horror & rigor febrium intermittentium simillimumque non solis debeat vasculis cutaneis, sed musculis etiam ad cutem sitis & artus mouentibus. III. Qui de spasmo illo febrili, quatenus sese in cute exferit, loquuntur, fere nullam, praeter stasim in vasculis affectis & feri acrimoniam, eius causam assignant, quod quam parum cum obseruatis conueniat, vel leuiter attendenti patet. Nullum quidem est dubium, quin stases & feri acrimonia eiusmodi spasmodicum inducere queant; plures vero illius dantur causae §§. antec. recensitae. Quid? quod spasmi cutanei, aliunde producti, longe saepe sunt formidolosiores. Docent id febres intermittentes, a viscido aut alia materia morbosa, in primis viis latitante, oriundae; vbi ingens spasmodus per solum partium consensum excitatur, absque eo, vt vel stasis in vasculis cutaneis adsit, aut acrimonia in sanguine. IV. Quando stasis in vasculis cutaneis huius spasmi censetur causa: cauendum, ne *lentius exata stasis accusetur*. Prouti enim tumores distendentes, si lentius generantur, partes neruofas minus mutant, hydropis exem-

C

plo;

9) l. m. c.




plo; ita lentius quoque stases enatae spasmo cutaneo inferendo impares sunt, quod vel ipsa experientia docet.

§. XI.

Ingruente febre vna alteraue, vel plures etiam coniunctae causas praesto sunt, quas spasnum febrilem necessario inferre monuimus §§. VIII. IX. Quare is non solum eo tempore compareat necesse est, sed pater quoque, eundem, quamdiu febris durat, nunquam plane abesse posse. Sicuti vero mutationes naturales, fugiente natura saltum, successiue (interiecto nempe breuiori longiorie temporis interuallo) per suas producuntur causas: ita spasmus etiam febrilis successiue *increfcere*, successiue etiam *decrefcere* debet, licet fieri omnino queat, vt Medicus, siue ob leuitatem spasmi, siue ob successionum celeritatem, siue ob aliam quamcunque conditionem, successiuum illud, in decremento & incremento spasmi febrilis, non obseruet. Cum denique causae spasmi febrilis, quae febrientibus insunt, gradu diuersae sint, dum modo fortiores, modo leuiore, modo coniunctae, modo solitariae obtineant: sequitur, spasnum febrilem non vnus eiusdemque gradus, in febribus, comparere posse.

§. XII.

Dictum est in febribus, spasnum illum febrilem decrefcere; ipsaque experientia docet, abire eundem, eo excepto casu, vbi (quod in febribus intermittentibus nonnunquam contingere solet) aegrum


 aegrum in ipso febris accessu necat. Quaeritur ergo: vndenam hoc spasmi febrilis decrementum eueniat, & quapropter fiat, vt is, mora temporis, abitum pareat? Duo sunt, quae hic afferri solent, momenta. I. Ad sudorem prouocant febrilem, qua caussa febris, hinc & spasmi extirpari credunt. Verum is sudor non nisi *sublato* iam spasmo eueniet; praeterea dantur febres, quarum caussa ipso sudore non eicitur, prouti id nonnullae febres intermittentes docent. II. Praecipue vero spasmi decrementum & euanescentiam ita explicant. Dum a spasmo resistentia vasorum erga cor maior euadit, atque cor eius est naturae musculus, vt maiorem vim possideat, quam in statu naturali exferit: fiet ab ista resistentia, vt cor vehementius erga constricta per spasnum vascula agat, illiusque potentissima actione latera vasorum a se inuicem recedant, sicque, vi contra vim nitente, spasmus tollatur. Verum non perpendunt hi, cordis actionem magnam quidem, minime vero infinitam esse, vt omnem resistentiam superare queat; dein vero cordis actionem, sub spasmo illo, vere *debilitari*, non ita augeri, vt spasmi inde decrementum prouenire queat. Missis ergo his, veriore proponemus sententiam. Docent obseruationes, spasticos affectus, atque enormes quidem, decrefcere saepe & euanescere, postquam per aliquod tempus durauerant, licet caussa illorum in corpore maneat, nullaque, in ipso paroxysmo, ad eos tollendos, vsurpata sint remedia. Sumas, vt id confirmetur, epilepsiam. Quam saepe contingit, vt illius paroxysmus *sponte* euanescat, licet materialis eius caussa v. g. Vermes, in corpore retineatur! Nonne simile quid, quod spasnum febrilem respicit, assumi

assumi debet? Non nego interea, excretiones quasdam naturales
v. g. hæmorrhagias, medicamenta, & diaetetica & chirurgica
remedia multum quoque, in eo imminuendo, valere.

§. XIII.

Non satis bene intelligo, qua ratione factum, vt, qui de
spasmo febrili, & cutaneo præprimis, differunt, assumere videantur,
quod is tunc demum obtineat, quando horripilationis vel etiam
horroris signa adsunt, non perpendentes, eum ipsum sub calore
febrili non minus adesse, & calorem siccum, toties in febribus in-
flammatoriis & continentibus præsentem, optimum sæpe esse
spasmi cutanei signum. Vt hæc sententia recte diiudicetur, se-
quentia adnotanda sunt: I. Si ad spasnum cutaneum, in febribus
sese exferentem, necessario requiras, vt aeger frigus (siue leue id
fuerit & momentaneum, siue magnum & diutius durans persentiscat):
recte negatur omni feбри spasnum cutaneum accedere. Nil iam
dicam de eo, quod in continentibus, inflammatoriis, heclicis, &
fatente BOERHAAVIO, a causa externa prouenientibus febribus,
saltim haud raro, omnis horripilatio frigorisque sensus absit: fe-
bres intermittentes, quod miraberis, nonnunquam sine horripi-
latione ingruunt, nisi, in gratiam forsitan theoriac, qui id testan-
tur male obseruasse, credere velis. Ita enim STÖERCK²⁾ de febribus
intermittentibus: *Non omnes Paroxysmi cum frigore inceperunt, sed erant quidam aegri, qui illico citra omnem horripilationem*

²⁾ Ann. med. V. pag. 75.

tionem magnum aestum conquesti sunt, quo cessante copiose sudaverunt. Quodsi ergo frigoris, leuioris saltem, sensum necessario ad spasnum febrilem, circa cutim obuientem, requiras: mirandum non est, quando negatur, omnem febrem spasmo cutaneo stipari. II. Adesse spasnum febrilem non minus sub calore febrili, quam frigore, patebit, si consideres a) quod caussa spasmi illius adhuc supersit (§. XI.); b) quod calor ficcus appareat, c) quod, ut modo diximus (n. I.) in febribus nonnunquam accidat, ut calor vnice febrilis adsit, sine frigore, cum tamen ad omnem febrem spasmus cutaneus necessario requiratur (§. IX.). III. Spasmus ille febrilis, enatus in vasis arteriosis sanguiferis, generalis est caloris febrilis caussa. Notum enim est ex Physiologia, calorem sanguinis enasci praecipue ex affricu sanguinis in minoribus vasculis sanguiferis arteriosis; caloris vero sensationem praeter id affluxum simul sanguinis ad partes neruofas requirere; calor itaque augeri debet, quando, reliquis caloris caussis manentibus, affricus incrementum. Quibus positis hoc tenendum. Spasmus febrilis (cum varii illius dentur gradus) vel tantus erit, ut per minora vascula sanguinem aut nullum, aut parcum transire permittat, vel, minori in gradu contingens, sanguinem tanta fere, quanta in sanitatis statu, copia per vascula ire concedit, at maiori cum resistentia. Si hoc: calor statim aderit febrilis. Si vero illud: primo quidem frigus aderit; quando autem is ipse spasmus successiue decrescit (§§. XI - XII.); abeunte frigore, sequetur calor. Atque quam pulchre hanc, quam tradidi, theoriam obseruationes corroborant! Attentus enim ad casus, vbi extra febrem, spasmus cutaneus



neus in vasculis oboritur: simili fere modo, ni aliud quid obstat, caloris augmentum obseruabis, si spasmus remittat. *Paroxysmi species*, inquit H V X H A M a) *febris intermittens per aquae valde frigidae balneum excitatum cognoscimus; pallorem puta frigus, horrorem, sanguinis in arteriis cutaneis obstructionem & versus cor repulsionem: vix tam cito ex balneo egredieris, cum cor, arteriae, caeteraque vim resistentem praecedentis constrictionis superent, & vniuersalis caloris incendium gignant.* Patet ergo ex dictis, ad calorem febrilem spasmus febrilem, in minoribus arteriis sanguiferis praesentem, requiri b).

§. XIV.

Ex praedictis intelligi potest. I. Quare nonnunquam obseruatum sit, quod post calorem demum febrilem frigus febrile subor-

a) Opera physie. med. a Clar. Reichel ed. Tom. II. pag. 29 — 30.

b) Non nego, plures in febris huius caloris existere causas. Plethora, impetus sanguinis, diathesis inflammatoria, acria varia eundem gignere possunt. Sine his vero praesentibus accendi potest calor febrilis, nunquam vero sine spasmu febrili — Qui caeterum calorem febrilem, vt spasmus in vasis suborti, remissionem, ab aucta propter maiorem vasorum resistentiam cordis vim & actionem vnicere repetunt, non cogitant, cor, quandiu vehementior spasmus vrget, languescere. Si, ob alias causas, spasmus vehementioris & fignoris remissio facta & impetrata sit: cor omnino ad calorem producendum, viuidiori sua actione, post abactam nimiam resistentiam recurrente, concurrat — Denique de sensatione caloris hic potissimum sermo est. Absolutus enim caloris gradus iam sub frigore febrili increfcit, quod de HAEN notauit. *Celoberr.* quoque HOME idem corroborat (medizinische Beobachtungun- gen und Versuche pag. 182 seq.).

subortum sit? Calor enim febrilis & frigus febrile ab vna eademque causa pendent, in eo tantum diuersa, quod leuior cutaneus spasmus (transitum sanguinis ad cutim concedens) calorem, grauior vero (adfluxum sanguinis versus cutim nimium impediens) frigus febrile producat. Cum ergo, si causam respicias, gradu tantum differant: fieri omnino potest, vt calorem frigus sequatur.

II. Quare tamen, plerisque in casibus, post frigus demum febrile calor obseruetur? Quoniam dictum est, calorem febrilem a leuiori spasmo produci, spasmus quoque febrilem *successiue* increfcere & successiue decrefcere (§. XI.): videri posset, ac si phaenomena febris ita debeant obseruari: calor, frigus, calor; cum tamen, plerisque in casibus, primo frigus, dein calor proueniat. Quam ergo ob causam hoc contingit? Ratio forsitan sic determinari poterit α) Potentior causa, si caetera eadem sit, solet celeriter suos producere effectus; quodsi itaque causa febris, hinc etiam spasmi febrilis, magna fuerit, successiuum, ab incipiente ad notabilem vsque spasmus, incrementum adeo celeriter contingere potest, vt effectus cuiuslibet huius successiue increfcentis spasmi gradus recte obseruari nequeant, praecipue cum, vt ex spasmo calor ille generetur, tempus aliquod praeterlabi debeat, atque frigus, quod celeri tunc gressu accedit, calori oppositam sensationem ponat. β) Nisi spasmus febrilis adeo magnus sit, vt immeabilitatem sanguinis efficiat, calor absolute consideratus, sub frigore iam increfcit (§. anteced. n. b.). Fieri ergo aliter non potest, quin post frigus calor facilius sentiat, quam ante illud. γ) Monui iam (l. m. c.) cor etiam ad febrilem calorem producendum.



endum concurrere. Huius autem actio decrefcit, ingruente fpafmo, augetur, fi is abiturum parat. Sic ergo efficitur, vt, ingruente fpafmo, & cauffa caloris paulum imminuatur, & affluxus fanguinis in vafcula minora minuatur, hincque frigus, non calor fenriatur. §) Calor praepremis generatur in minoribus vafculis, quae validiores (§. IX.) fpafini effectus patiuntur. Eo fit, vt verfus maiora vafa fanguis retropellatur, fi fpafmus ingruat. Calor autem fic decrefcit. III. Quare in continentibus & hefticis adeo frequenter fpafmus periphericus fine horripilatione exiftat? In continentibus faepe leuior adest cauffa febris, dein plethora & orgafmus fanguinis contrantuntur tam fpafmo febrili quam frigoris fenfationi; hefticae autem cauffa, cum tarde generetur, corpus aegri minori cum vi afficit. IV. Cum febris tandiu, quamdiu fpafmus, durat (§. XI.): fequitur, febris paroxifmum tolli & praecaueri, fi fpafmus ille aut tollatur, aut praepediatur. Quod in febrium intermittentium quadam curandi methodo obferuatur.

§. XV.


Quamuis haec de fpafmo febrili, cutaneo praepremis, tradita fatis mihi clara & perfpicua videantur: iuuabit tamen, vt melius quo vergat mea fenfentia intelligatur, dicta in ordinem redigere, atque nonnulla addere. Paret nempe ex antecedentibus.

I. *Dari febres, quas fpafmus cutaneus non comitatur.* Iftas nempe volo, quae *topicae* a Medicis vocantur.

II. *In*



- II. *In omni febre vniuersali adesse quidem spasnum illum cutaneum seu periphericum; cauendum tamen, ne existimetur vel*
- III. *Spasnum febrilem soli inbaerere cutis vasculis, cum interna vasa non minus eo afficiantur; vel*
- IV. *Frigoris semper gradu leuiori, grauiori stipari, cum febres obseruatae sint, omni frigoris sensu immunes; vel*
- V. *Sub calore febrili eum non adesse; vel*
- VI. *ex spasmio etiam fibrarum cutis oriri, quod structurae cutis repugnat.*
- VII. *Spasnum periphericum definitionem febris ingredi non debere, cum 1) febres sint, quas manifesto non comitatur (n. I.); 2) ex iusto celeriori sanguinis motu, in quo essentia febris consistit, iam sequatur, vt, quando febris vniuersalis praesto est, causas simul adesse debeant, quae spasmio febrili & cutaneo inferendo pares sunt (§§. VIII & IX.). 3) Spasmus ille vasculorum internorum (n. III.) non minus adsit, quam periphericus.*
- VIII. *Pulsus febrilem in omni febris stadio adesse, hinc etiam eo, quod a frigore nomen accepit.*
- IX. *Spasnum cutaneum non esse symptoma febris. Est potius effectus illius causae, quae febrim producit (§§. VIII & IX.).*



IX.). Praeterea spasmus cutaneus, *in se spectatus*, per sensum non est observabilis, sed demum per sua signa cognoscitur. Verum autem symptoma *in se spectatum* per sensum cognosci debet ^{c)}.

§. XVI.

Ad effectus iam transeo, qui spasmo illi debentur, quatenus sese in cute exferit. Si grauior fuerit: non solum, ob impedimentum sanguinis ad cutim transitum, horripilationem, frigus, horrorem, rigorem inducit, cum tensione partium musculosarum externarum & oscitatione, sed congerit etiam sanguinem, cum spatium circulationis imminuat, in partibus interioribus, hincque saepe anxietates, lipothymias, laesam respirationem, suffocationis metum, sopores, apoplexias, vomitus, colicas &c. producit. Si leuior fuerit: ardorem cutis, aestumque siccum efficit, ni aliae circumstantiae adfuerint, quibus hi effectus praepediantur, ut in putridis febribus nonnunquam observatur. Signa autem spasmi febrilis generatim erunt 1) pulsus febrilis; 2) pulsus durus; 3) Frigoris sensus, cum pallore praepremis; 4) Siccitas cutis; 5) eius ardor; 6) oscitationes & pandiculationes, & similia, quae omitto, cum illa iam sufficiant.

§. XVII.

^{c)} GAUDEMUS *Instit. part. medic.* §. 86.

§. XVII.

De curatione spasmi febrilis quaedam addere superuacaneum esse duxi, cum haec in therapia satis exposita habeantur. Omnia enim redeunt partim ad ea, quae de superanda febris causa afferuntur, partim ad regulas, quas sub frigore & calore febrili obseruare oportet medicum, de quibus BOERHAAVIUS conferri potest. Caeterum haec de spasmo febrili suppeditata iis sint dicta, quos sacrae theoriae amor non seducit. Reliqui valeant, siutque sua theoria beati.

T A N T V M.



PRAE-

PRAENOBILISSIMO PRAECLARO ET ORNATISSIMO
DOMINO CANDIDATO
OMNIGENAM PRECATVR FELICITATEM.
P R A E S E S.

Quo minus bucusque distincte satis atque dilucide spasms febrilis expositus fuit, in eo maiorem sane laudem TIBI, CANDIDATE PRAESTANTISSIME, vergit, quod TV hanc rem admodum arduam adgressus, eamque ex genuinis principiis pathologicis explicare conatus sis; idque successu non parum felici. Merito igitur TIBI, & de hoc egregio Specimine, & de studiis TVIS haud vulgaribus, ex animo gratulor, imprimis cum eadem probe maturata nouerim. Ex quo enim tempore celeberrimis Academiae nostrae Docentibus innotuisti, singulari assiduitate, diligentia & morum elegantia omnibus satisfacisti. In specie ex meo ore chemiam theoretico-experimentalem, materiam medicam & therapiam specialem auide percepisti & exercitationes meas clinicas constanter frequentasti atque in notandis observationibus practicis alacriter occupatus fuisti. Sic igitur scientia medica auctus & ornatus, dignus es summis honoribus in arte machaonia, a gratioso Ordine medico, praemii loco, TIBI decretis. Deum, omnis felicitatis fontem, precor, ut auspiciis suis secundet & prospera reddat, quaecunque in aegrotantium salutem inchoabis. De reliquo sic TIBI, CANDIDATE PRAENOBILISSIME, persuadeas, velim, me, si quae forsitan in posterum TIBI profutura intellexero, nunquam esse defuturum. Vale. Halae Magdeb. d. XXIII. April. MDCCLXIX.

Ma 4711

ULB Halle
003 941 760


3




St.

12







an 19 20

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
SPASMO FEBRILI

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIIS
ET
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
FRIDERICO CHRISTIANO IVNCKERO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE
HVIVSQVE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
PAEDAGOGII REGII AC ORPHANOTROPHEI HALENSIS
MEDICO PRACTICO CONSTITVTO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. XXIV. APRIL. A. R. S. MDCCCCLXIX.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

GEORGIVS FRIEDERICVS SIGISMVNDVS CRONER
POMERANVS.

HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.